



SYN
HIS
PH II

LIT2/557

LIT2/557

V
B-111-0



BIII

E-1

11

SINOPSIS
HISTORIA
FILLOSOPHIAE

SYNOPSIS
HISTORIÆ
PHILOSOPHIÆ

SECUNDUM ORDINEM

BRUCKERIANUM.



OLISIPONE

TYPIS CAETANI FERREIRA DA COSTA.

ANNO MDCCLXXIII.

Cum facultate Regiæ Curiae Censoriæ.

SYNOPSIS,
HISTORIÆ
PHILOSOPHIÆ
SECUNDUM ORDINEM
BRUCKERIANUM.

HISTORIA PHILOSOPHICA est luculenta eorum, quæ circa Philosophiæ originem ac progressum ac circa res gestas Philosophorum memoratu digna sunt, commemoratio, quæ commodissime in *Antiquam*, *Mediam* ac *Novam* dispescitur. Hinc totum Historiæ Philosophicæ ambitum **TRIBUS** **PERIODIS** complectemur, quas, ut memoriæ consulatur, specialibus partibus ac capitibus enarrabimus.

PERIODUS PRIMA nascentem & adolescentem, quin virilem quoque Philosophiæ ætatem a mundo condito ad initia Romanæ Monarchiæ sub se comprehendit. Huc igitur referenda venit:

I. PHILOSOPHIA ANTE-DILUVIANA. Sunt enim, qui *Adamum*, *Cainum*, *Sethum*, *Thubalcainum*, *Enockum*, in Philosophorum classem referunt. Ac certe quemadmodum a Sacris Litteris erudi-

SYNOPSIS,
HISTORIÆ
PHILOSOPHIÆ
SECUNDUM ORDINEM
BRUCKERIANUM.

HISTORIA PHILOSOPHICA est luculenta eorum, quæ circa Philosophiæ originem ac progressum ac circa res gestas Philosophorum memoratu digna sunt, commemoratio, quæ commodissime in *Antiquam*, *Mediam* ac *Novam* dispescitur. Hinc totum Historiæ Philosophicæ ambitum **TRIBUS** **PERIODIS** complectemur, quas, ut memoriæ consulatur, specialibus partibus ac capitibus enarrabimus.

R. 64487

PERIODUS PRIMA nascentem & adolescentem, quin virilem quoque Philosophiæ ætatem a mundo condito ad initia Romanæ Monarchiæ sub se comprehendit. Huc igitur referenda venit:

I. PHILOSOPHIA ANTE-DILUVIANA. Sunt enim, qui *Adamum*, *Cainum*, *Sethum*, *Thubalcainum*, *Enockum*, in Philosophorum classem referunt. Ac certe quemadmodum a Sacris Litteris erudi-

mur, primum hominem, cui cœlestia, terrenaque corpora intueri licuerit, fuisse Adamum; ita quoque ab illis ostenditur (Ecles. c. XVII. 6.) inditam Adamo fuisse rerum cognitionem, quam non immerito Philosophiam vocaveris; ut perfectus in illo foret cognitione rerum intellectus, simulque perfecta honestate morum voluntas. Credibile est etiam Sapientiæ studium à patribus in nepotes hæreditarium veluti munus ubique transmissum ad hæc usque tempora floruisse; concedique facile poterit, Adamum ipsum plurima posteros docuisse, quæ vel a Deo didicerat, vel propriis ipse studiis, & observationibus deprehenderat. Sunt vero qui dicant, Patriarcharum vitam experientiam Magis, & Revelationem, quam Meditationem philosophicam, ducem habuisse, experientiæ usum vero cum cognitione certa ex principiis deducta confundendum haud esse. Quidquid præterea de monumentis quibusdam litterariis ante-diluvianis traditur, fabulæ sunt ab otiosis ingenii excogitatae.

II. PHILOSOPHIA POST-DILUVIANA, quæ est vel

BARBARICA seu Gentium Barbararum, quo nomine Græcis omnes gentes veniunt, Græco sermone & elegantia carentes: Et si nonnullam orationis pulchritudinem, Opiniones, Dogmata, Antiqui-

ores Græciæ Philosophi *Hesiodus*, *Homerus*, *Pythagoras* ex Sacris ipsis Litteris potuissent mutuare. Huc igitur sunt referendæ Gentes:

ORIENTIS, quæ sunt

HEBRÆI quo nomine Abrahami & Israelis posteris usque ad captivitatem Babyloniam comprehendi solent, qui enim ex ista dispersionem redierunt, Judæi vocari solent. Inter Ebræos autem Philosophos numerantur *Noachus*, *Semus*, *Chamus*, *Abramus*, *Isaacus*, *Jacobus*, *Josephus*, *Moses*, *Salomon*, *Daniel*, *Jobus*. Sapientia Ebræorum potissimum in prudentia Ecclesiastica, Civili, & æconomica ipso usu, & divini quoque luminis auxilio adjuncta, minus vero in Scientia philosophica, atque speculativa quærenda est.

CHALDÆI, quorum Philosophia ZOROASTREM auctorem habet, præter quem BELUS alter scientiarum parens inter Assyrios celebratur, quorum vero ætas æque ac historia incerta & obscura. Serius his vixit BEROSUS, qui Græcos Chaldaicas disciplinas primus docuit. Præter hos *Marmaridius*, *Zarmocénidas*, *Zoromastres*, *Teucrus*, *Zabratus*, inter Chaldæos celebrantur.

PERSÆ, inter quos ZARDUSHT sapientiæ conditor fuit, qui librum, *Zendavesta* vel *Zend* dictum, scripsisse dicitur.

Post eum inter Persarum Magos *Hystaspes*, *Astrampsycus* & alii eminenterunt.

INDI, qui viros celeberrimos habere, *Brachmanes* & GYMNOSOPHISTAS dictos, & in certas classes sive Sectas, in *Brachmanes* scilicet & *Germanes* seu *Samanacos* divisos. Celebrantur inter illos *Buddas*, & *Dandamis*, *Calanus*, *Jarcha*.

ARABES, inter quos *Zabii* vel *Sabei* & *Loemannus*, elegantissimus a pologorum scriptor, memorabiles sunt.

PHÆNICES, qui antiquissimæ sapientiæ promi conditi & litterarum inventores creduntur. Celebrantur inter eos *Mochus* vel *Moschus*, qui systema atomisticum invenisse, & *Cadmus*, qui Græcas litteras ex Phœnicis ex sculpisse dicitur, nec non *Sanchuniaton*.

MERIDIEI, quo pertinent
ÆGYPTII, apud quos sapientiæ conditor *Thevt* vel *Thoyt* fuit, quem Græci *Hermetem*, Latini *Mercurium* dicunt. Post hunc alter quoque inter Ægyptios *Mercurius*, *Trismegistus* vocatus, eminent, cui varii libri, variaque tribuuntur inventa.

ÆTHYOPES, quorum sapientiæ Ægyptiæ originis esse creditur, quæ vero de illa, deque *Atlante*, Astronomo primo, dicuntur, incerta sunt.

OCCIDENTIS, quo spectant

CELTÆ, apud quos Philosophi *Druides* vocati sunt, in tres ordines, *Bardos*, *Vates* & *Druides*, sive *Drottas*, *Wysendammen* & *Scaldos*, divisi. Sub *Celtarum* nomine vero *Galli*, *Britanni*, *Germani* veniunt, populique, qui per *Cimbriam*, *Succiam*, *Daniam*, *Noruegiam* habitant.

SERENTRIONIS, quo sunt referendi *Hyperborei* *Scythæ*, a *Celto-Scythis* distincti, *Thraces*, *Getae*, &c. inter quos sapientiæ laudem consecuti sunt *Abarris*, *Anacharsis*, *Toxaris*, & *Zamolxis*, sapientiæ apud istas gentes auctor.

GRÆCANICA, quæ fuit vel:

MYTHOLOGICA, sive fabularum velo involuta, quam in lucem prodixerunt & enutriverunt *Prometheus*, *Linus*, qui *Herculem*, *Thamyrim*, & *Orpheum*, præcipuum sapientiæ Græcæ auctorem, discipulos habuit, *Museus*, *Eumolpus*, *Melampus*, *Amphion*, *Hesiodus*, *Epimenides* & *Homerus*.

POLITICA, quæ ad salutem reipublicæ fundandam ac promovendam erat comparata: huic obstetricati sunt prudentissimi Græciæ legislatores, *Zaleucus*, *Charondas*, *Triptolemus*, *Draco*, *Solon*, *Lycurgus*, *Rhadamantus*, *Minos*, & septem illi Græciæ sapientes, solemniori hoc titulo adpellati, *Thales*, *Solon*, *Chilon*, *Pitta-*

cus, Bias, Cleobulus, Periander, quibus adjungimus *Æsopum*.

DOGMATICA sive ARTIFICIALIS, quæ natales suos *Thaleti*, ac *Pythagoræ* debet, & per duos quasi ramos ac successiones, *Jonicam* atque *Italicam*, est propagata, utpote a quibus omnis Philosophantium turba descendit:

Hanc vero divisionem partim naturæ obscuritas, partim veritatis studium, partim dissentendi cupiditas, partim denique novitatis amor induxit. Ea enim est Philosophiæ divisio, quæ singulæ ejus partes, ob innumeras dissidentium inter se Philosophorum opiniones, vel docendi methodum in plures Sectas divisæ, ac disceptæ sunt: quod elegantissime expressit Boetius (De consolat. Philosophiæ Prosa I.) dum Philosophiam ipsam in Ticinensi carcere squallido vultu, discissa veste, passis capillis, demissis oculis, suffususque genis sibi apparuisse finxit; idque ab æternis Philosophorum dissidiis illa se passam esse mestissime querebatur. Atque hinc intelligitur, cur *Heresis*, ut Græci dicunt, vel *Sectæ* nomen ac *Secundo* derivetur quod ipsa nimirum Philosophia Sectarum ope divisa fuerit; vel homines aliqui in Philosophiæ studio a ceteris divisi Secti, se junctique fuerint: quamvis illud etiam a *Sectando* deduci posse videatur, quod tunc aliqua Secta cons-

titui dicatur, cum plurimi unius Philosophi doctrinam sectentur, illique arctissime adhæreant: Intelligi quoque, vel explicari facile poterit, cur ingens adeo, & incredibilis Sectarum numerus apud veteres, recentioresque Philosophos semper extiterit: Novitatis enim amor, dissentendi cupiditas, partium studium, rerumque obscuritas omnes impulit, ut, vel opinionem aliquam ab aliis dissidentem comminiscerentur, vel sententiam illam, quam uicem adamarint, amplecterentur.

His præterea addendum, Sectarum nomina variis ex fontibus esse deducta; plerumque tamen ex nomine, vel patriæ auctoris, ex loco, vel docendi genere, quo usus est, aut ex ipsa rerum, quæ diligentius exponi, vel pertractari solebant, varietate. Sic itaque Secta, quam a Pythagora institutam diximus, *Italica* vocatur, quod ille in variis Italiæ Urbibus, præsertim vero *Cordone*, ac *Metaponti* docuerit. *Jonica* dicitur *Thaletis Secta*, quod *Thales* fuerit ex *Mileto Joniæ* urbe, ac in *Jonia* plurimum illa floruerit, antequam *Athenas* ab *Anaxagora*, vel *Archelao* transferretur. *Eleatica* vero non a *Xenophanis* (hic enim *Colophonius* fuit) sed a *Parmenidis*, *Melissi*, *Zenonis* patria, qui *Xenophanis* auditores, & in schola successores fuerunt, nomen obtinuit: omnes etenim E-

leates, hoc est ex *Elea*, aut *Velia* Italiae urbe prodierunt. *Academica* Secta ab *Academia*, vel *Ecademia*, nimirum ab horto quodam arboribus confito, quem *Ecademur* heros habendis ibi Philosophiae disputationibus destinaverat, & in quo *Socrates*, & *Plato* docere consueverant, est appellata. Cumque similiter *Zeno* in porticu quadam apud Athenienses celebri, Polygnotipicturis ornata, doceret, *Stoicam* Sectam invenisse dicitur, quemadmodum ab *Aristotele*, quod de ambulando discipulos erudiret, *Peripatetica*, sive *deambulatoria* Secta manavit: & *Antisthenes* ipse non alia de causa *Cynica* Sectae nomen reliquit, nisi quod in *Cynosarge* Gymnasio, hoc est in *Candidi Canis* templo, doceret; quod *Herculi* ex oracali responso construxerat. *Dydimus* quidam, commotus, quod candidus canis victimam aris impositam rapuisset, & si *Laertius* Cynicos a *Scommatis*, cavillis, hoc est a canica irridendi, mordendique licentia dictos existimet. *Pyrrhonica* denique, *Epicurea*, *Gassendistica*, *Cartesiana* ab auctorum nomine; *Eliaca* vero *Megarica*, *Cyrenaica* ab illorum patria nomen sortitae sunt. *Atomistica* tamen vocari etiam solet *Epicuri*, vel *Gassendi* Secta, quod in illa praesertim de corpusculis, atomisque differatur: quemadmodum etiam *Cyrenaica* Secta *Aristippi* inter-

dum *Hedonica*, sive *Voluptuosa* vocatur, quod in illa voluptas summum bonum esse dicatur, interdum etiam *Eudemonica*, quod illa praesertim, atque uberius, quam ceterae consueverint, de felicitate differat.

Atque his accenseri facile poterit aliud Sectarum genus, sive potius Philosophiae divisio, quae ex vario Philosophorum ingenio, docendique methodo derivatur, atque apud veteres, recentioresque Philosophos nostris etiam temporibus usurpatur. Quemadmodum enim ingens olim, aeternumque Philosophorum dissidium plurimos impulit, ut cum *Pyrrhone* nihil certo deprehendi posse putarent, sed de omnibus dubitarent, unde sceptici, seu *dispicientes*, *Zeteci*, sive *quaesitores*; *Ephetici*, vel *Cobibentes* assensum; *Acataleptici* denique, vel *Incomprehensibiles* dicebantur: cum alii, qui propria dogmata constantissime tuebantur, *Dogmatici* vocarentur: ita quoque hac aetate, quamvis aliqui uni Sectae nomen dederint, atque ex Philosophis aliquem adamaverint, quem unice sequerentur, seque illo duce veritatem assequutos esse gloriantur; plurimi tamen de invenienda veritate fere desperantes, scientiam omnem sustulerunt, eam que mortalian oculis prorsus ereptam, aut certe gravi caligine circumseptam esse putarunt.

Utrumque tamen docendi genus, quod

Pyrrhonicæ, sive *Dogmaticæ* profitentur, ab ingenio, honestoque veritatis amore ab horrere sapientissimi viri arbitrantur. At ista quidem Philosophorum turba a *Jonica*, atque *Italica* Philosophia descendit, nam e

SECTA JONICA, quæ *Thaletem Milesium* denatum Olymp. LVIII. conditorem, *Anaximandrum*, vero, *Anaximenes*, *Anaxagoram*, *Diogenem*, *Appolloniatem*, *Archelaum*, adsecras & successores habuit, propullularunt:

SCHOLA SOCRATICA, quam *Socrates* natus Olymp. LXXVII. condit, cujus discipuli præcipui fuere *Xenophon*, *Æschines*, *Crito*, *Simon*, *Cebes*, *Aristippus*, *Phædo*, *Euclides*, *Plato*, *Antisthenes*, *Critias*, & *Alcibiades*. Ex hac Schola prodiit

SECTA CYRENAICA, quæ ab *Aristippo* qui floruit circa Olymp. XCIV. ortum nata est. Sectatores habuit filiam *Aretem*, ejusve filium *Aristippum*, nec non *Antipatrum Cyrenaicum*, qui *Epitimidæ*, & hic *Parabateæ*, ille vero *Hegesie* & *Anniceredi* Philosophiam Cyrenaicam tradidit, quibus Secta *Hegesiacæ* & *Anniceridæ* nomen debent. *Aretem* quoque *Theodorus*, *Atheus* dictus, audivit, qui *Bionem Borysthenitem* Sectatorem habuit.

SECTA MEGARICA, sive *Eristicæ* (accepto nomine a contentiosa philoso-

phandi ratione, licet, cum hac Secta Litigiosum altercandi studium non demum cæperit, quod jam antea in Secta *Eleatica* viguit) Secta igitur *Eristicæ* cui *Euclides Megarensis* originem dedit. Adsecras habuit *Eubulidem Milesium*, *Clinomachum*, qui primus de axiomatibus & categorematicis scripsit, *Alexinum Eliensem*, frustra Sectam molientem, *Euphantum*, *Apollonium Cronum* & *Diodorum Cronum*, nec non *Stilponem Megarensis*, Philosophorum hujus Scholæ facile principem.

SCHOLA ELIACA & ERETRIACA, illam excitavit *Phædo Eliensis*, *Socraticis* discipulus, & quamvis a *Socraticis* placitis haud recesserit, nomen tamen Scholæ suæ dedit. Hunc secutus est *Plisitanus*, & eum *Menedemus*, qui Scholam istam in patriam *Eretriam* transtulit, unde *Eretriacæ* dicitur.

SECTA ACADEMICA, quæ *Platonem*, nato Olymp. LXXXVIII., originem debet, qui in disciplina sua habuit *Dionem*, *Hyperidem*, *Demosthenem*, *Isocratem* & alios. Cum vero post mortem *Platonis* discipuli in eisdem auctoris placitis non presertant, exorta inde est

ACADEMIA VETUS seu prima, quæ a *Platonis* mente non recessit. In ejus cathedra vero successerunt *Xonocrates*, *Polemio*, *Crates*, juxta quem in Academia excelluit *Crantor Solensis*.

ACADEMIA MEDIA, quæ ab *Arcefilao Pitaneæ* est condita, cujus vestigia preffit *Lacydes Cyrenæus*, cui successere *Telectes*, *Evander*, *Egesinus Pergamenus*, *Carneades*, qui Academicam disciplinam paulisper inflexit, hinc

ACADEMIA NOVA, quam *Carneades* condidit. Hunc in Schola exceperunt *Clitomachus* & *Philo Larissæus*, qui ab antecessoris sui præceptis parumper recedens, quartæ Academiæ auctor extitit, & cum discipulus ejus ac successor itidem alia via sibi incedendum esset ratus, quintæ Academiæ denominationi ansam dedit, qui fuit *Antiochus Ascalonita*.

SECTA PERIPATETICA, quæ *Aristotelem* auctorem habet, cujus successores in Lyceo fuere *Theophrastus*, *Strato*, *Lampsacenus*, *Lycæ Triodensis*, *Aristo Cæsius*, *Critolaus* & *Diodorus*. Inter Peripateticos quoque, præter Lycei doctores, *Dicæarchus*, *Eudemus*, *Heractides Ponticus*, *Phanias*, & *Demetrius Phalareus* eruditionis laude eminuērunt.

SECTA CYNICA, quæ *Antisthenem Atheniensem* auctorem habuit. Sectatores ejus fuere *Diogenes*, *Onesicritus*, *Monimus*, *Crates*, *Hipparchia*, *Metrocles*, *Theobrotus*, *Cleomenes*, *Demetrius*, & *Timarchus Alexandrini*, *Echedes*, *Menippus*.

SECTA STOICA, cujus auctor *Zeno Citricus* fuit. Successores ejus in stoa sive porticu fuere *Perseus*, *Aristo Cbius*, *Sphærus*, *Cleanthes*, *Chrysippus*, *Zeno Tarsensis*, *Diogenes Babylonius*, *Antipater Tarsensis*, *Panætius Rhodius*, *Posidonius*, qui Rhodi Stoicam Philosophiam docuit, ac *Jasonem* in Schola habuit successorem.

SECTA ITALICA, quam *Pythagoras*, cui natales alii ad Olymp. XLIII.; alii Olymp. XLVIII.; alii Olymp. LIII. referunt *Pherecydis Syri* discipulus, condidit. Sectatores ejus fuere *Aristæus*, *Mnesarchus*, *Telauges*, *Balagoras*, *Gorydas*, *Aresa*, *Diodorus Aspendius*, *Architas*, *Empedocles*, *Epicharmus*, *Ocellus Lucanus*, *Timæus*, *Archytas*, *Almæon*, *Hippasus*, *Philolaus*, *Eudoxus*. Quibus addi possunt *Ecpbantus* & *Hippo Reginensis*, qui vero ab Italicis opinionibus defecerunt, unde *Semi-Pythagorei* dicuntur. Ex Italica Pythagoræ Schola, matre fecundissima, prodire tanquam filia.

SECTA ELEATICA, quam condidit *Xenophanes*, cujus in Schola successores fuere *Parmenides*, *Melissus Samius* & *Zeno Eleates*, quos alii, systema metaphysicum Eleaticorum in physicum mutantem, exceperunt, *Leucippus* nempe, *Democritus Abderita*, ex cujus disciplina *Protagoras*, *Diagoras*, *Melissus* & *Anaxarchus* emerunt.

SECTA HERACLITEA quæ *Heraclitum* Ephesium auctorem habuit, & mature expiravit. Interim *Zeno* ac *Hippocrates* in morem Heracliteum philosophati sunt, & haud pauca ex placitis Heracliti in sua horrea alii transfudere Philosophi, *Heraclitistæ* inde dicti.

SECTA EPICUREA Eleaticæ propago, quæ *Epicurum* auctorem, *Metrodorum* vero *Polyænum*, *Hermachum*, *Dio-genem Tarsensem*, *Apollodorum*, *Zenonem* & *Sidonium* Sectatores habuit.

SECTA PYRRHONIA, sive *Sceptica*, quæ *Pyrrhonem* parentem agnoscit, cujusve discipuli ac Sectatores fuere *Eurylochus* & *Timon Phtiasius*, post quem Secta hæc mature extincta est, revocavit tamen eam *Ptolemæus Cyrenæus*, quem audivit *Heraclides*, hujus vero discipulus *Ænesidemus Gnossius* fuit, a quo Secta hæc duobus fere seculis est propagata.

FATA PHILOSOPHIÆ GRÆCÆ EXTRA GRÆCIAM, quoque memoratu dignissima sunt, quamvis enim arctis diu limitibus Græciæ & inferioris Italiæ, quæ Græcia magna dicta est, inclusa esset Philosophia, tandem tamen transit

In ASIAM: *Alexandro M.* enim magna Asiæ parte potito, cum Philosophos, maxime *Callisthenem* & *Anaxarchum* in suo comitatu haberet, ad collo-

quia

quia cum sapientibus gentium, inprimis *Perfarum* Magis & *Indorum* Brachmanibus instituenda eos ablegavit *Alexander*, Philosophiam Græcicam attemperare illarum gentium sapientiæ studens. Quæ cum mire a Græcorum Philophia distaret, Mythologica tamen Orientalis Theologiæ conditio occasionem præbuit, ea, quæ *Perse*, *Bactriani*, populique alii de divinis præcipiebant, cum *Græcis* comparandi ac conciliandi. Maxime vero *Zoroastrea* Secta id fecit, & hinc novum tandem disciplinæ genus in Oriente enatum est.

In ÆGYPTUM: cum enim *Alexander M.* & Ægypto potiretur, coloniis, quas Alexandriam deduxerat, permisit, tuæ adhærere religionis placitis. Ita vero, dum omnis generis dogmata inter Græcos innotuere, ea Græcis placitis admixta & adaptata sunt, gentis indole ejusmodi Syncretismo mire favente. Post Alexandri mortem *Ptolemæus Lagi* Græcam Philosophiam in Ægyptum deduxit, sic ut Athenæ inveniri Alexandria viderentur. Quem in finem & *Bibliotecam Splendidam* condere cæpit, cui scripta Philosophorum Græcorum intulit, Philosophos celeberrimos conduxit, inter quos *Demetrius Phalereus* fuit. Et cum Lagidis successores iisdem erga literas uterentur rationibus, convolarunt illic Philosophi Græci. Hinc ab eo tempo-

B

re omnium fere Sectarum Græcarum nomina in Ægypto audita sunt, maxime vero *Platonica* invaluit. Et cum ultimi quoque Pythagorei ex Italia in Ægyptum affugissent, eorum instituta valde arrisere genti superstitiosæ. Inde factum, ut præcepta & instituta *Pythagorico-Platonica* in suos transferrent usus. Hinc qui Græce quidem philosophari & patriis tamen ritibus Deos colere cupiebant, *Syncretismum illum Pythagorico-Platonico-Ægyptiacum* commenti sunt. Nec difficile fuit, omnia, licet dissona, in unum colligere, allegoriæ machinis potenter torta & inflexa. Quam Theologiam reliquarum quoque religionum & opinionum homines amplexi sunt, ita tamen, ut domestica illi dogmata inferrent, & sic ex variis centonibus nova aliqua Theologia Ægyptiaca effingeretur. Cumque sub *Ptolomæo Physcone* Philosophi ex Ægypto in Asiam dispergerentur, mature autem redirent, ab illis Orientalis quoque Philosophiæ Pythagorico-Platonica admixta est. Et hinc infelix illud monstrum *Philosophiæ Ægyptiæ* enatum est, quod omnis sanæ doctrinæ pestis fuit.

PERIODUS SECUNDA a nascentis semisimque emergentis Monarchiæ Romanæ primordiis ad felicissimam scientiarum omnium & Philosophiæ quoque restitutionem & revocationem ex squalore bar-

bariei se extendit, ac sub se comprehendit.

I. ROMANORUM PHILOSOPHIAM quorum sapientia consideranda est, qualis fuerit. ANTE CONDITAM MONARCHIAM, ubi notandum, difficulter initio Græcam Philosophiam admissam esse. Cum enim *Carneades*, *Diogenes*, & *Critolaus*, Atheniensium legati Romam venissent, & nobilissimi Romanæ juventutis ad audiendos Græcos Philosophos convolarent, factum est, ut, legatis honeste dimissis, ad extinguendas relictas amoris Philosophiæ scintillas Scto cautum sit, ne Philosophi Romæ essent, id quod ad Rhetores quoque deinceps extensum est. Cum vero Romani juvenes, qui ductos Atheniensium legatos audiverant, imperium exercituum nacti in Græciam venissent, Græcæ Philosophiæ gratia capti Græcos Philosophos audirent, inque eorum phrontisteria venirent, eorum placita didicerunt. Et hoc primo quidem a *Scipiano Africano*, *Lælio* & *Furio* factum est, quorum primus multum *Panætio* adhæsit, alter hunc & *Diogenem Stoicum* sectatus est, ita tamen, ut Stoica imprimis præcepta eligerent. Idem quoque a Romanis proceribus factum est, quorum tamen omnium plurimum Philosophiam Græcam promovit *Lucullus*, is e-

nim ab *Antiocho Ascanolita* Philosophiam didicit, præstantissimam domi bibliothecam instruxit, & Philosophos Græcos Romanam pellexit, cui *Sylla* jungendus, qui *Aristotelis* & *Theophrasti* scripta, expugnatis Athenis, primus in lucem protraxit, & Romanam detulit. Et ab his *Sylla* & *Luculli* temporibus Philosophiæ Græcæ apud Romanos florentis epocha derivanda est, & quidem circa annum 670, urbis Romæ conditæ. Ab eo tempore nulla ferò Græcorum Secta fuit, quæ non inter Romanos patronos atque asseclas inveniret. Nam Sectatores habuit

SECTA PYTHAGOREA, cui *Ennius*, *Cato Censorinus* & *P. Nigidius Figulus* adhæserè, post quem Pythagorica disciplina mox evanuit.

ACADEMIA tam vetos quam media atque nova. Veteri enim præter *Lucillum*, *M. Brutus*, *M. Terentius Varro* & *M. Piso*, sua dedere nomina, Academiæ mediæ vero *M. Tullius Cicero* assecla ac Sectator fuit.

SECTA STOICA, cui præter alios reipubl. Romanæ proceres *Q. Lucilius Balbus* & *Cato Uticensis* addicti fuere.

SCHOLA PERIPATETICA, cum enim Tyrannionis cura ex Bibliotheca *Syllæ* scripta *Aristotelis* accepisset *Andronicus Rhodius*, Philosophos Peripateticos, il-

que commentariis scriptis, lucem intulisset, factum est, ut Peripatetica Secta Romanis quoque proceribus se commendaret. *Cato* enim *Demetrium* Peripateticum secum habuit, *Crassus Alexandrum Antiochenum*, *Piso Stajeam*, *Cicero* filium *Craippo*, Philosophiam Peripateticam Athenis docenti, instituendum tradidit.

SECTA EPICURÆA, cujus Sectæ studio imprimis nota sunt illustra *Terquanti*, *Velleii*, *Trebatii*, *Papinii Pæti*, *Verrii*, *Sanseii*, *Albutii Pisonis*, *Pansa*, *Fabii*, *T. Pomponii Attici*, & *C. Cassii* nomina.

SECTA SCEPTICA, quæ quidem Ciceronis tempore pro extincta habebatur ab *Aenesidemo* tamen Alexandria resuscitata, qui scriptis libris Pyrrhoniis scepticam Philosophiam novo lumine perfudit, eamque justo Systemate complexus est.

SUB INVALESCENTE ac Condita Romanorum Monarchia, quo tempore, expirante quidem reipublicæ Romanæ libertate, non tamen expiravit Philosophiæ studium. Nam præter multos viros doctos, *Virgilium*, *Horatium*, *Ovidium*, *Lucanum*, *Manilium*, *Persium*, Poetas, *Livium*, *Tacitum* ac *Strabonem*, historicos, qui scripta sua placitis philosophicis, tanquam gemmis distinxere, hic nobis sese offerunt Philosophi

PYTHAGORICI, Quamvis enim Secta Pythagoræorum mature intercederit, nec illa unquam, si accurate loquendum, restituta sit, fuere tamen Philosophi nonnulli, qui & Pythagorica quædam dogmata receperunt, & imprimis institutum vitæ Pythagoricum secuti, hanc Sectam restituisse videri voluerunt, in quem censum, præter *Nigidium, Anaxilaus, Sextius, Sotion, Moderatus Gaditanus*, & qui omnibus palmam præripit, *Apollonius Tyaneus*, veniunt, quibus *Nichomachus Gerasenus* adnumerandus.

PLATONICI, quo pertinent *Thrasylus, Theon Smyræus, Alcinoüs, Favorinus, Calvisius Taurus, Apuleius, Atticus, Numenius, Maximus Tyrius, Plutarebus & Galenus*, qui in Dialecticis Aristotelem secutus, quæram illis Figuram adjecit.

ECLECTICI sive **PLATONICI RECENTIORES**, quo nomine certa Philosophantium familia intelligi debet, quæ varia diversarum Sectarum & religionum dogmata, ne Christiana quidem excepta, in unum coalescere coegit doctrinæ ædificium. Syncretisticæ hujus Sectæ tulit femina *Ægyptus*, Sectæ autem huic Syncretismo dedit nomen *Potamo*, Philosophus Alexandrinus, & cum exigua fortunam ejus conamina habuissent, feliciori successu rem aggressus est *Ammonius Alexandrinus*, a

vita genere *Saccas* dictus. Discipulos habuit *Longinum, Herennium, Originem*, & qui omnes Commilitones suos acumine vicit, *Platinum*, alterum eclecticæ Scholæ Alexandrinæ parentem, & Platonicorum Alexandrinorum principem, a quo ista successio nomen obtinuit, quam propagavere *Amelius, Porphyrius, Maximus Ephesius, Jamblichus, Ædesius, Eustathius, Chrysanthius, Hierocles*. Quæ hæresis syncretistica, cum Athenas commigrasset, *Platarchum, Nestorii filium, Syrianum, Proclum, Marinum, Isidorum, Damascium*, habuit doctores.

PERIPATETICI qui in duas classes dividi possunt. Prima classis ab *Andronico* usque ad *Neronis* ætatem singularem Philosophiæ typum servavit, seque a reliquis Sectis tota distinxit, quo pertinent *Sofigenes, Boethus, Nicolaus Damascenus, Xenarchus, Athenæus, Alexander Ægeus*, secundæ classi, quæ ad Sec. VII. se extendit, tempore *Neronis Ammonius* ab *Ammonio Sacca* probe distinguendus, originem dedit, quæ, jure suo Syncretistica appellatur, nam dogmata Peripatetica quidem secutus est *Ammonius*, ast ita, ut Platonica quoque & Stoica cum illis conciliaret, quæ mixta Philosophia etiam in Lyceo obtinere cæpit, donec ab *Ammonio Sacca* in formam Sectæ transiit. Ab eo enim tem-

pore Philophia Peripatetica ab iis quoque exulta est, qui Platonici videri volunt, *Aristotelis* & *Platonis* disciplinam jungentes, quo nomine seculo secundo eminuere *Taurus Berytius*, *Atticus*, *Favarinus*, *Sotion*. Maiori Peripateticæ doctrinæ gloria tum inclaruerunt *Galenus*, *Eudemus* & *Alexander Damascenus*. Non tamen omnes Syncretismus ille infecit, sed inventi sunt, qui castius *Aristotelem* sequerentur, ex quibus *Adraſtus*, *Aristocles Meſſenius* & *Alexander Aphrodiſeus* laudandi. Magnum detrimentum autem ab *Annoniæ Saccæ* ætate Schola Aristotelis genuina iterum est passa, cum Eclectici Peripateticismo faventes, Peripateticam disciplinam Syncretismo suo, licet *Anatolius*, genuinus Peripateticus, acriter obstiterit, valde corrumpent, inter quos primas tenent *Themistius*, *Olympiodorus*, *Simplicius Cilix*. Ab eo enim tempore Philophia Peripatetica ad Saracenos & Christianos transit.

CYNICI, quorum nomina post Christum natum vix innotuere. Inclaruit tamen *Musonius Babylonius*, *Demetrius*, *Demonax*, *Cæcæus*, *Peregrinus*, & *Salustius*.

STOICI, quorum fortuna lætissima incrementa cepit, cum Imperatores non solum illis faverent, sed & ipse *M. Aurelius Antonius* habitu stoico philosophans auctoritatem eorum egregie promoveret.

Celeberrima illorum nomina sunt *Abenodorus*, *Cornutus*, *Musonius Rufus Chæmon*, *Seneca*, *Dio Prusæensis*, *Euphrates*, *Epictetus*, *Sextus Chæronensis*.

EPICUREI, inter quos *Plinius*, *Lucianus* & *Diogenes Laertius* numerantur, quibus alii *Celsum* sine ratione adjungunt.

SCEPTICI, quorum catalogo *Claudius Ptolomæus* ac *Aulus Cornelius Celsus* sine ratione, præter *Ænesidemum* verò *Sextus Empiricus*, *Saturninus Cytbenas*, *Theodosius Tripolites*, suo inferuntur merito. Hæcque Græcarum Sectarum, fortuna fuit usque ad Seculum VII.

II. **ORIENTALIUM SIVE ASIATICORUM PHILOSOPHIAM**. Horum Philophia cum ex *Zoroastreæ Disciplinæ* reliquiis paulo ante natum Salvatoremi esset enata, innumeros per Asiam Sectatores sparsit, ex quibus hæc pauci in Ægyptum progressi, non Philophiam modo, maxime Pythagorico-Platoniam, sed religionem quoque Christianorum ac Judæorum contaminarunt, & inter illos *Cabbalistas*, inter hos *hæreticos*, communi nomine *Gnosticos* dictos, genuerunt. In Oriente vero, maxime in Chædæa & Persia, Sectam hæc fuisse enatam, indeque per Syriam, Asiam & Ægyptum se diffudisse, ex indubiis certum est testimoniis. Ex quibus

etiam constat, hujus disciplinæ Sectatores ad *Zoroastrem*, ejusve Philophiam provocasse, & se ejus Propagines jactitasse. Id quod verum esse deprehendet, qui *Syste-
ma Zoroastreum* cum horum hominum deliriis comparaverit, illis tamen reselectis, quæ novaturientia adjunxerunt ingenia. Quædam autem Platonica postea eos recepisse, certum est.

III. JUDÆORUM PHILOSOPHI-
AM post reditum ex captivitate BABILO-
NICA, ubi consideranda:

PHILOSOPHIA JUDAICA A TEM-
PORE REDITUS EX CAPTIVITATE
BABILONICA USQUE AD EXCIDI-
UM HIEROSOLYMARUM, in qua Pe-
riodo sequentia potissimum veniunt notanda:

Habuisse Judæos reduces viros mag-
nos, atque legis patriæ & prudentiæ civi-
lis peritissimos, *Zorobabelis*, *Nebemiæ* ac
Esdrae exemplo patet.

Samaritanos mixtum aliquod religio-
nis Judaico-Gentilis Systema fovisse, de
spiritibus ex Deo emanantibus quædam
eos ex Orientali doctrina tandem recepisse,
& inde *Simonis Magi* detestabilem Phi-
losophiam ortum accepisse.

Coloniæ Judæorum Ægyptiacam Phi-
losophiam Gentilem, maxime *Pythagori-
co-Platonicam* & Orientalibus dogmatibus
mutatam & auctam, *Peripatetica* tamen

non plane exclusa, allegoriarum machinis
ad legis patriæ interpretationem arcanam
accomodasse, ac allegoricam interpretatio-
nem ab his temporibus esse repetendam,
quod vel *Philonis* exemplo patet ac *Aristo-
tobuli*, qui legis interpretationem allego-
ricam scripsit, inter primos corruptæ sapi-
entiæ Judaicæ auctores referendus.

Nec in Palæstina Caballam, sive ar-
canum legis interpretationem ignotam fuisse,
quam *Simeon Sobetachides* tradit, &
fuisse viros doctos inter Judæos, qui Græ-
canicam Philosophiam discerent, cujus e-
gregium *Josephus* historicus est exemplum.

Sectas Judæorum præcipuas fuisse,
Sadduceos, *Karæos*, *Pharisæos*, *Essenos*,
Therapentas, quarum tamen origines incer-
tæ & obscuræ sunt: Nec defuisse Judæis
alios eruditos viros, inter quos *Jesus Sy-
racides*, *Philo*, *Hillel* & *Schammai* emi-
nent.

PHILOSOPHIA JUDAICA AB EX-
CIDIO URBIS HIEROSOLYMÆ AD
RECENTIORA USQUE TEMPORA,
eujus potiora momenta fere hæc sunt:

Viri docti, qui tempestatem ex-
cidii evaserunt, scholas erexerunt *Jamniæ*,
Tyberiadæ, *Bitteræ*, *Lyddæ*, *Cesareæ*,
inter quas *Sephorienfis* celeberrima avasit.
Celebriores tum Judæorum doctores *Elie-
zer Magnus*, *Johannan Saccades*, *Jebuda*

Hakkadosch sive sanctus, *Tarphon Akibba*, *Jehosua Ben Chanania*, *Eliezer Filius Chrismae* fuere, quibus *Talmudis* compilatio debetur. In *Babylonia* autem scholæ celebrantur *Sorana*, *Nabardeensis*, *Pumbedithana*, & minores aliæ, in quibus *R. Asche* & *R. Jose* docuerunt, novi *Talmudis*, *Babylonici* dicti auctores.

Altera sapientiæ Judaicæ pars versata est circa traditionem mysticam, *Cabbala* dictam, & Methysicam Judæorum arcanum exhibet, quam post everlam rempublicam magno studio excoluerunt. Cujus diligentiae fructus sunt *Sepher Happeliab*, *Sepher Hakkaneh*, *Sepher Habbahir*, *Sepher Sohar*. Cabalisticæ præ aliis insignes fuere *R. Akibba*, qui libri *Jezirah*, & *Siméon Jochaides*, qui libri *Sohar* auctor est. Prioris discipulus fuit *Schimeon Filius Jochai*, post cujus ætatem usque ad Seculum X. exigua Cabalisticæ Philosophiæ notitia deprehenditur, & unus *R. Saadias Gaon* celebris fuit, cumque Seculo XI. omnis eruditio in Oriente exspiravit, Judæi enim a Saracenis vehementer persecutione pressi ex Oriente in Occidentem profugerunt, & imprimis in Hispania confederunt.

Posita in Hispania Litterarum Judaicarum sede, non solum studio *Talmudico* & *Cabbalístico* dediti fuere Judæi, sed & ad *Aristotelicam Philosophiam* addiscendam

animum adjecerunt, cui studio Versiones Scriptorum *Aristotelis* Hebraicæ ex Arabicis confecta adscribendæ sunt. Eminent inter eos *R. Moses Maimonides*.

IV. SARACENORUM sive ARABUM PHILOSOPHIAM, quæ ante *Jegem Islamicam* latam & *Mubammedis* ætate nulla fuit. Familia *Abbasidarum* vero sceptrâ tenente, Seculo VIII. post Christum natum aurora quædam eruditionis illucescere cæpit donec Seculo IX. novus in *Almanone* eruditioni omni, & imprimis Philosophiæ, sol exoriretur. Ex eo enim tempore *Johannes Filius Mesue Damascenus*, Scholam *Bagdadi* aperuit, & Philosophiam lingua Syriaca docuit. Cujus discipulus *Honainus* pariter studium Philosophiæ nire promovit, quod auxere Bibliothecæ Christianorum, quæ in Saracenorum venerant potestatem. *Galenis* & *Aristoteli* Opera in linguam Arabicam sunt traducta. Scholæ publicæ *Bagdadi*, *Basora*, *Bochara*, alibique locorum floruerunt, omnibus autem Orientis Scholis sub Mogulensium imperio præfectus erat *Nasiroddinus Tusensis*, Philosophus celeberrimus. Nec Philosophia Orientis terminis inclusa manebat, sed *Saracenorum* imperio in Occidentem quoque extenso, ab his quoque *Occidentis* populis Arabibus Philosophia promotâ est. Versiones librorum, inter Saracenos Ori-

entales confectæ, in has terras allatæ, & splendidissimæ *Bibliothecæ Fessæ* & *Larrachæ* sunt excitatæ: Gymnasia superba sunt condita, stipendiis nutriti sunt professores, unde magnus in istis locis Philosophorum proventus fuit, inter quos eninuere *Rasi*, *Esseriph Effachali*, *Ibnu Saig*, *Ibnu Sohar*, *Ibnu Thophail*, *Averroes Abul Hasan sive Al-Asshari*, præter quos maximam nominis celebritatem nacti sunt *Alkendi*, *Alfarabi*, *Ibnsina sive Avicena*, *Avenzoar*, *Ebn-Baliab sive Avempace*, *Al-Gazel*, *Noimodimus*, *Bachillanus*, *Abulfaraius* & alii.

V. CHRISTIANORUM PHILOSOPHIAM cujus historia duabus commodissime includitur Periodis.

PRIMA PERIODUS PHILOSOPHIAM CHRISTIANORUM ANTIQUAM continet, & a nato Salvatore ad Seculum VII. se extendit. Patres Ecclesiæ vero, qui doctrinæ philosophicæ laudem sunt consecuti, sunt Seculo II. *S. Justinus Martyr*, *Theophilus Antiochenus*, *Athenagoras*, *S. Irenæus*, *S. Clemens Alexandrinus*, *Pantæus*, *Hermias*, qui omnes Platonismo tunc temporis regnanti favent, nec non *Tatianus*, ad Gnosticorum castra transiens, ac *Tertullianus*, qui, quamvis veteris Philosophiæ fuit callentissimus, eam tamen omnem rejecit. Sec. III. *Origines*, qui eclecticam Philosophiam Alexandriæ,

Ammonio Sacca auctore, exortam, Christianis doctrinis immiscuit. Sec. IV. *Arnobius*, *Lactantius*, *Eusebius*, *Didymus Alexandrinus*, *S. Augustinus*, *Chalcidius*, Sec. V. *Synesius*, & *Pseudo-Dionysius*, nec non in Occidente, ubi barbaries paulatim invalescere cæperat, *Claudius Mamertus* & *Boethius*, qui omnes *Origenis* vestigia prementes eclecticæ Sectæ dediti fuere, quamvis *Boethius* Alexandriæ Philosophiæ Peripateticam jungeret. Sec. VI. *Aeneas Gazæus* & *Zacharias Scholasticus*, eclecticæ itidem Philosophiæ fautores, quibus *Johannes Philoponus* jungendus, qui, quamvis eidem disciplinæ se dedidisset, potiorem tamen curam ad *Aristotelis* interpretationem convertit.

SECUNDA PERIODUS PHILOSOPHIAM CHRISTIANORUM MEDIÆ ÆVI sub se comprehendit, & a Seculo VII. ad restitutas usque eruditionis elegantioris partes, quod Sec. XIV. & XV. contigit, decurrit, hicque consideranda venit.

PHILOSOPHIA CHRISTIANORUM GRÆCORUM SIVE ORIENTALIUM a Sec. VII. usque ad expugnatam Constantinopolim. Ubi sequentia veniunt notanda: Exspiravit Sec. VII. Philosophia *Platonico-Alexandrina* inter Gentiles, ac inter solos Christianos, præsertim

monachos, residua manebat. Extra monasteria vero ab eo tempore *Aristotelica Philosophia* caput efferre coepit, cujus studium post *Philoponum* mirifice promovit *S. Johannes Damaſcenus*, qui hacce Philosophia Sacram quoque Theologiæ Scientiam adjuvit, & habitu eam Philosophico induit, hincque inter præcurſores Theologiæ Scholasticæ numeratur. Post eum barbaries quidem invaluit, aſt Sec. IX. restitutæ sunt litteræ, *Michaele* & *Barda* imperantibus, a quo tempore usque ad captam Constantinopolin sequentes Philosophi inclyti fuere, *Pfellus Senior*, *Leo Philosophus*, *Photius*, *Nicetas*, *David* & *Michael Ephesius*, *Nicephorus Blemmides*, *Georgius Pachymeres*, *Nicephorus Gregoras*, *Georgius Cyprius*, *Georgius Lapitha*, Omnes Peripatetici, & *Michael Pfellus*, junior, Alexandrinæ Philosophiæ fautor ac promotor.

PHILOSOPHIA CHRISTIANORUM OCCIDENTALIUM a Sec. VII. usque ad duodecimum, qua ætate omnia ad barbariem vergebant. Seculum enim VII. præter *Boethium*, Consulem Romanum, ac *S. Isidorum Hispalensem*, Sec. VIII. præter *Bedam Venerabilem*, *Theodorian Cilicem*, *Flacum*, *Alcuinum*, Sec. VIII. præter *Rabanum Maurum*, *Joannem Scotum Eriſſenem*, *Eginbardum*, *Adelbartum Walafridum*

fridum Strabonem, *Wandelbertum*, *Grimbaldum*, Sec. X. præter *Bridfertum*, *Dunstanum*, *Alfredum Malmesburiensem*, Anglos, *Remigium Antissiodorenses*, *Notkerum*, *Ratbodum*, Gallos, *Nannonem*, *Brunonem*, *Baldricum*, Germanos, quibus omnibus palmam præripuit *Gerbertus Aurelianensis*, Sec. XI. præter *Oliverium Malmesburiensem*, *Fulbertum Carnotensem*, *Berengarium*, *Lanfrancum*, *S. Anselmum*, *Ivonem Carnotensem*, *Franconem Leodiensem*, *S. Petrum Damiani*, *Hermanum Contractum*, nec non *Jonnem Roscellium*, cujus studio & auctoritate *Nominalium* & *Realium* controversiæ in *Seclam* abiire, produxit neminem, quorum omnium eruditio in trivio ac artis dialecticæ subtilitatibus consistebat.

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA, quæ confusum quoddam chaos erat ex Philosophia Arabica, Aristotelica & Theologia compositum, cujus origines alii a *Lanfranco*, alii a *Roscellino*, alii ab aliis derivant. Tota autem Scholasticorum turba commodissime in tres ætates sive classes dividitur:

PRIMA ÆTAS a Seculo XII. usque ad medium Seculum XIII. extenditur, & *Petrum Abalardum*, *Petrum Lombardum*, *Gilbertum Porretanum*, *Petrum Comestorem*, *Alexandriam Alesium* sive ab *A-*

les, Joannem Sarisberiensem, Robertum Pulleyn &c. produxit.

SECUNDA ÆTAS a medio Seculo XIII. usque ad annum 1320, vel 1330 deducitur, & Albertum M., S. Thomam de Aquino, S. Bonaventuram, Petrum Hispanum, Rogerium Baconum, Ægidium de Columna, Joannem Duns Scotum, Petrum Aponensem, Arnoldum Villanovanum & alios in lucem edidit.

TERTIA ÆTAS ab anno 1330 usque ad litterarum emendationem se extendit, ad quam Guilelmus Durandus, Occamus, Richardus Suissetus, Buridanus, Marsilius ab Inghen, Burleus, de Alliaco, Wesselus, Gabriel Biel referendi.

Quæ Scholasticorum caterva in varia Sectarum abiit divortia, hic enim Albertistarum, Thomistarum, Scotistarum Occamistarum nomina deprehenduntur. Contentione autem ista Nominalium, uti dici solent, ac Realium in historia Scholasticorum nihil est celebrius.

PERIODUS TERTIA Historiam Philosophiæ a restauratione litterarum ad nostra tempora sub se comprehendit, ubi se considerandum exhibet.

I. SECTARIUM PHILOSOPHIÆ emendandæ studium. Miserata enim tandem generis humani, barbariei squalore obruti, divina providentia, emendare intellectus

humani morbum constituit. Instrumento autem Numinis benevolentia usa est litteris humanioribus, cum latinæ pariter atque Græcæ Litteraturæ minor restitui cœpisset. Elegantiorum enim litterarum ac maxime Græcæ linguæ restitutioni debemus

PRIMOS PHILOSOPHIÆ RESTITUENDÆ CONATUS. Surrexere enim, postquam jam Sec. XIII. Raymundus Lullius, cui famosa illa ars inventiva sive Lullistica origines suas debet, reformationem Philosophiæ Scholasticæ frustra tentarat, Sec. XIV. & XV. viri cordati, qui de meliori doctrinæ vultu cogitare cœperunt. Nam hic se nobis offertur:

Viri docti, qui de externo Philosophiæ emendandæ solliciti fuere habitu, in quem sensum veniant Manuel Chrysolaras, natione Græcus, Joannis Palæologi, Græcorum Imperatoris ad Occidentis Principes legatus, qui primus Venetiis, Florentiæ, Romæ, tandemque Ticini Græcarum Litterarum studium suscitavit, quod auctum est, cum capta A. C. MCCCCLIII. urbe Constantinopoli Græcorum eruditissimi in Italiam aufugissent. Huic jungimus Dantem Aligerium, ejusve discipulum Franciscum Petrarcham, Joannem Boccacium, Leonardum Erunum Aretinum, Angelum Politianum, Hermolaum Barbarum, Poggium Bracciolinum, Franciscum Philelphum,

Petrum Paulum Vergerium, Janutium Manettum, Nicolaum Cusanum, Donatum Acciaolum, Jovianum Pontanum, Apollinarem Offredum, Laurentium Vallam, Scholasticorum flagellum Rodolphum Agricolam, & Joannem Argyropulum, qui omnes partim linguæ Græcæ ac Latinæ nitorem restituendo, hæcque Musas ex exilio revocando, partim veterum Philosophorum scripta versionibus ac commentariis donando, vel micæ elegantioris Philosophiæ scriptis suis inspergendo, vel saniorem Philosophiam docendo, vel Scholasticam Philosophiam falsè perstringendo, reformationi Philosophiæ viam muniverunt.

VIRI PHILOSOPHIÆ PLATONICÆ RESTAURATORES, cujus semina primus in Italia sparsit *Georgius Gemistus Pletho*, Byzantinus, qui in controversia de prærogativa Platoniciæ doctrinæ præ Peripatetica contentiosum & arrogantem se præbuit. Moderatius causam pro Philosophia Platonico-Alexandrina dixit *Bessarion*, Græcorum exulum facile doctissimus, *Plethonis* discipulus, a quorum partibus & *Marsilius Ficinus*, nec non *Joannes Picus Mirandulæ & Concordiæ Comes* ac Princeps steterunt.

VIRI PHILOSOPHIÆ ARISTOTELICÆ GENUINÆ RESTAURATORES. Cum enim viri eruditi novas &

fideliore scriptorum Aristotelis curavissent versiones, in id incumbabant Aristotelis fautores, ut ostenderent, magis sobrie castæque quam hæctenus ob perverfas Aristotelis interpretationes creditum sit Aristotelem docuisse, quibus annumerandi sunt *Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Georgius Scholarius, Andronicus Callisti*.

NOVOS LABORES PHILOSOPHORUM VETEREM PHILOSOPHIAM REVOCANTIUM. Cum enim *Occo I. Ellenbogijs, Naclerus, Peutingerus, Bebelius, Brandius, Rhenanus, Dalburgius, Pirkheimerus, Cuspinianus, Vadianus, Lazius, Reuchlinus*, alique elegantiores litteras resuscitare essent aggressi restaurandæ Philosophiæ libertate ingeniorum restituta, materia est subnata. Cumque *Erasmus, Veses, Nizollius, Rhenanus*, alique in Pseudo-Philosophos amaris invectivis insurgerent, nævos eorum in aprico ponerent, & barbariem philosophastrorum deridendam propinare cæpissent; insuperque *Jacobus Faber Stapulensis, & alii Scholasticæ Philosophiæ bellum indicerent, nec non Jacobus Sadoletus, Hieronymus Fracastorius, Georgius Agricola, Joachinus Camerarius & Simon Gryneus* litteraturæ veteris Philosophiæ sobriam faciem restituerent, & philologiæ operam ad illustrationem Philosophiæ conferrent, factum est inde, ut

viri acuti & litterarum gloria inclyti de revocandis veterum Græcorum Sectis anxio & serio cogitarent, alii in scholasticorum castris pro virili contra novaturientia ingenia, eorumque conamina pugnantibus. Sic

ARISTOTELICO-SCHOLASTICAM PHILOSOPHIAM, sicco pede lecti sunt inter Dominicanos Dominicus Sotus, Franciscus de S. Victoria, Dominicus Bannez, Franciscus Sylvestrius, Michael Zanardus, Joannes a S. Thoma, Chrysofotomus Favellus; inter Franciscanos Joannes Pontius, Bartholomæus Mastrius, Bonaventura Bellutus, Martinus Meurisse, Claudius Frassenius, alii; inter Cistercienses Angelus Manriquez, Bartholomæus Gomezius, Marsilius Vasquezius, cum Gabriele non confundendus, Petrus de Oviedo, a Francisco diversus, aliique, quibus tamen omnibus eruditionis laude Joannes Caramuel Lobkowitz est anteponendus.

PERIPATETICAM sive ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM genuinam ac domestico habitu productam sistere conati sunt post Nicolaum Leonicum Thomæum, horum Philosophorum antesignanum, Petrus Pomponatius, Hercules Gonzaga, Theophilus Folengius, Paulus Jovius, Gaspar Contanerus, Simon Porius, Joannes Ge-

uestus Sepulveda, Lazarus Bonamicus, qui omnes e Pomponatii schola prodierunt, quibus addendi Augustinus Niphus, Maioragius, Daniel Barbarus, Petrus Victorius, Jacobus Zabarella, Alexander & Franciscus Piccolomini, Hubertus Gifanius, Julius Pacius, Andreas Cæsalpinus, Cæsar Cremonius, Cyriacus Petrus & Joannes Baptista Strozæ, Jacobus Mazonius. Inter Protestantes vero, in quorum scholis per longum tempus Aristotelis Philosophia personavit, maximam Peripateticismi laudem consecuti sunt Philippus Melancthon, Simon Simonius, Jacobus Scheglius, Philippus Scherbius, Nicolaus Taurellus, Ernestus Sorenius, Michael Piccartus, Cornelius Martini, Joannes Casselius, Couradus Horneius, Hermannus Conringius, Christianus Dreierus, Melchior Zeidlerus, Jacobus Thomastus, Christophorus Scheiblerus, Daniel Stablius, Paulus Slevogt, & alii quam plurimi.

PYTHAGOREO-PLATONICO-CABBALISTICAM Philosophiam restaurare quidam adgressi sunt. Postquam enim Pythagoreo-Platonica Philosophia a Plethone esset resuscitata, Picus porro Cabbalisticam addidit, cujus vestigia Franciscus Catanæus Saktius, Joannes Reuchlinus, Franciscus Georgius Venerus, Henricus Cornelius Agrippa, & Morus premere non du-

bitarant, *Francisco Patricio, Joanne Marco Marci a Kronland, Witchoto, Wilkinso, Whortingthono, Galeo, Cudwortho, Burnetio Platonifinum*, rejectis somniis cabalisticis, revocantibus.

PARMENIDEAM PHILOSOPHIAM restaurare suscepit *Bernardinus Telesius*, cui Academia Consentina sive Telesia origines debet, & cum multi, inprimis vero *Jacobus Antonius Marta & Andreas Chioccus*, sententias ejus oppugnant, in *Thoma Campanella* defensores nactus est.

JONICAM PHILOSOPHIAM renovavit *CLAUDIUS BERIGARDUS*, Molinensis in circulis Pisanis, ita tamen, ut, utrumque Systema, Peripateticum & Jonicum deficere, & errare in multis, non negaret, hincque ad scepticismum physicum inclinaret.

STOICAM PHILOSOPHIAM revocavit *IUSTUS LIPSIUS* in manu ductione ad Philosophiam Stoicam, & in dissertationibus de physiologia Stoica, cujus vestigia pressit *Gaspar Scioppius*, qui elementa Philosophiæ Stoicæ Moralæ edidit, & *Thomas Catakerus*, qui Imperatoris *Antonini* commentariis de se ipso Introductionem in Philosophiam Stoicam præmisit.

DEMOCRITO-EPICUREAM PHILOSOPHIAM in scenam produxit, irrito quamvis conatu, *Cbrystostomus Magne-*

mus, Luxoviensis, meliori vero successu atomisticam Philosophiam revocavit *Petrus Gassendus*, qui *Franciscum Bernierium, Michaellem Neuræum*, vel quo prius nomine innotuit, *Laurentium Mesinam, & Gualterum Charletonum*, Anglum, Sectatores habuit.

PHILOSOPHOS NOVAM philosophandi viam tentantes quidem, ast, contenta via Sectaria eclecticam in Philosophia infelici successu secuti sunt & de justo aberrarunt tramite, ad quam classem pertinent:

SCEPTICI RECENTIORES inter quos eminent *Franciscus Sanchez, Hieronymus Hirnbaym, Franciscus Motæus Vayerius, Petrus Bayle*.

PHILOSOPHI MOSAICI, qui, cum ex rationis luce veram de rebus naturalibus & moralibus doctrinam assequi se posse desperarent, ad sacra oracula, maxime ad *Mosis Cosmogoniam* confugerent, & ex his fontibus novum Philosophiæ ædificium extruere conati sunt, quod post *Guilelmum Bigotium, Libertum Fromondium, Ottonem Casmannum, Henricum Alstedium*, maxime fecerunt *Edmundus Dickinsonus, Thomas Burnetius, Guilelmus Whistonus, Joannes Amos Comenius, & Joannes Bayerus*.

THEOSOPHI, qui arcanam qui-

dem sapientiam non ex rationis cultura enatam, sed ex interna quadam luminis divini scintilla promicantem jactant, ad quod Philosophorum genus sunt referendi *Theophrastus Paracelsus*, qui *Joannem Oporinum*, *Adamum a Bodenstein*, *Jacobum Gohory*, *Gerardum Dorneum*, *Michaelem Töszites*, *Oswaldum Crollium*, *Henricum Kunrath*, discipulos habuit, præter hos *Robertus Fluddus* sive a *FluTibus*, *Jacobus Boehmius*, *Joannes Baptista Helmontius*, *Petrus Poiretus*, *Theosophorum* ordini adscribi solent, quibus alii *Rosacruzianos* addunt.

SYNCRETISTÆ PHILOSOPHICI, quorum systema nihil aliud est, quam male sana dogmatum & sententiarum philosophicarum in toto Cœlo inter se dissidentium Conciliatio. Non unus autem sunt generis, quidam concordiam religionis Christianæ & veteris sive recentioris Philosophiæ demonstrare conati sunt, quo post *Guilelmum Postelum*, *Mutius Pansa*, *Augustinus Steucius Eugubinus*, *Petrus Daniel Huetius*, *Tobias Pfannerus* & alii pertinent, quod autem hi inter omnes Sectas tentarunt, ut inter eas & revelationem pacificerentur, id circa Stoicam fecit *Justus Lipsius*, *Thomas Gatakerus*, *Andreas Dacierius*, circa Epicuream præter reliquos Philosophos Moisaicos *Jacobus Rondellus*, circa Platonico-Pythagoream tota Platon-

corum Sec. XV. in Italia florentium cohortis, imprimis vero *Franciscus Patricius*, *Galeus*, *Cudworthus*, *Morus*, circa Peripateticam *Fromondus* & *Zeisoldus*, circa Cartesianam *Ludovicus de Beaufort*, *Jo. Amerpoel*, *Christoph. Wittichius* alique *Theophrasti* concordiam cum *Galeno* & aliis tentarunt *Johan. Albertus Wimpineus* & *Daniel Sennertus*, concordiam veterum & recentiorum molitus est *Joan. Baptista du Hamel*, Platoniorum & Peripateticorum vero, præter *Patricium*, *Paulus Scalichius*, & quidem ad naturalem & medicam Philosophiæ partem hoc studium hœneticum adhibuit *Symphorianus Camperius*, ad moralem vero præcipue *Sebastianus Foxius*, quibus præter *Scipionem Agnellum* alii addi possent. Ramæorum & Aristotelicorum conciliatores quoque *Paulus Frisus*, *Andreas Libavius*, *Jo. Henricus Alstedius*, *Bartholomeus Keckermannus* fuere, Philosophi mixti hinc dicti. Sic & *Christophorus Sturmus* Aristotelem inter ac Cartesium pacis & concordiz instituendæ scopum habuit.

HOSTES PHILOSOPHIÆ, qui veram inter rationem & revelationem intercedere pugnam asseruerunt, quo præter scepticos, & imprimis *Bayliam*, nec non *Theosophos*, imprimis *Poiretum*, pertinent *Pomponatius*, *Achillinus*, *Portius Casalpinius Cremonius*, quorum duce se præbuit *Daniel Hoffmannus*.

II. ECLECTICUM PHILOSOPHIÆ EMENDANDÆ STUDIUM. Est autem hoc loco eclectica Philosophia, non, qua speciosum nomen mentita est, Alexandrina Philosophia, detestabili Syncretismo cœlum terraque miscens, sed sobria illa philosophandi ratio, quæ abjecto omni præjudicio ad unam rationis regulam respicit, exque rerum, quas considerandas sibi delegit, natura atque indole clara & evidentia principia haurit, ex quibus justis rationationis legibus conclusiones deducuntur: & hac norma posita, in examinandis Philosophorum præceptis nihil recipit, quod non rationis severitati faciat satis. Deprehendimus autem post renatas litteras:

AB PHILOSOPHOS ECLECTICOS, QUI TOTUM PHILOSOPHIÆ CIRCULUM INNOVARE, ALIAMQUE ORBI TRADERE PHILOSOPHIAM AGGRESSI SUNT, inter quos præcipui sunt:

JORDANUS BRUNUS NOLANUS, in quo dominabatur maxime insolita imaginationis vehementia ac luxuria, nec non spiritus contradictorius ex inepta hominis ambitione enatus. Cumque mirabilis & prorsus singularis atque paradoxus esset character ingenii animique infelicissimi hujus Philosophi, multa præclare quidem vidit, & animo ad emendandam Phi-

losophiam excelso præditus fuit, ast intellectus pariter ac voluntatis morbis impeditus, reformationi Philosophiæ ineptus fuit.

HIERONYMUS CARDANUS, qui eundem fere animi characterem servavit, habuit enim miram magnamque sapientiæ ac stultitiæ mixturam, ingenium exorbitans, & voluntatem ab affectuum æstu in præceps tractam, quo factum, ut deliro potius, quam sapienti interdum similis esset. Hinc quamvis in intervallis lucidis multa præclare viderit, dixeritque, attamen ingenio phantastico corruptus, parum utilitatis Philosophiæ attulit, nec magno opere ejus emendationem promovit.

FRANCISCUS BACONUS, BARO DE VERULAMIO qui, quod nec Brunus, nec Cardanus effecerunt, Veram Philosophiæ faciem & nativam pulchritudinem restituit. Cumque summo jure Parens Philosophiæ eclecticæ vocetur, ab eo vera ejus epocha est derivanda.

THOMAS CAMPANELLA, qui iisdem, quibus in Britannia Verulamius Philosophiam emendare aggressus est, temporibus, in Italia similes conatus suscepit. Cum vero miri ac phantastici ingenii homo esset, atque, *paradoxophilian* quam veritatem, sequi mallet, ad emendationem Philosophiæ ineptus fuit.

THOMAS HOBBIUS, qui VERULAMI exemplo & cohortatione in Britania est excitatus, ut quod ille ceperat, perficeret, quive, si methodo mathematica sive hypotheseos præjudicio usus esset, & in ipsis principiis precario assumtis non cæcutisset, præstantissimum dare Philosophiæ systema potuisset.

RENATUS CARTESIUS, inter maxima orbis philosophici ingenia numerandus. Nemo enim recentiori ætate aut majori conatu aut vehementiori strepitu in emendanda refingendaque Philosophia versatus est, quam ille. Quamvis autem laudabili ac vera in hac palæstra usus sit libertate, discipulorum tamen vitio eclecticæ Philosophiæ, quod dedit, systema in Sectæ formam abiit. Eminent vero inter ejus Sectatores *Henricus Reginus, Hadrianus Heerebod, Chrystoporus Wittichius, Joannes Claubergius, Jacobus Goussertius, Tobias Andrea, Hermanus Alexander Rollius, Stephanus Curceus, Joannes Røi, Antonius Le Grand, Henricus Morus, & inter Gallos Robaltus, Regisius, Clerfieri, alii, adversarios vero Aggidium Personnam Robertallium, Kœtium, Schoekium, Revium, Triglandium Huetium, Marestem, Mastrichtium, Spauembium, Leydokerum alios quæ expertus est.*

GODOFREDUS GUILIELMUS

LEIBNITZIUS, qui idem, quod *Cartesius* in Gallia egit, in Germania suscepit. Corpus quidem Philosophiæ non scripsit, sed id tantum egit, ut fundamenta daret, quibus concinnum Philosophiæ ædificium ex mente sua superstrui posset.

CHRISTIANUS THOMASIVS, cujus potissimum curæ & ingenti animo debet Germania, quod ejectam Philosophiam Sectariam viderit, & erigere mentem ad nova lumina in Academiis potuerit, non solum enim Philosophiam Sectariam ejecit, sed & eclecticam introduxit.

CHRISTIANUS WOLFIUS, qui omnes ingenio superavit, omnesque disciplinas philosophicas summa perspicuitate pertractavit non solum, sed & integras Philosophiæ partes novas detexit, cujus generis Cosmologia generalis & Aerometria sunt.

Omnibus hisce *Buddeus, Gundlingius, Rudigerus, Feverlinus, Reuschius*, aliique summo jure adnumerantur.

PHILOSOPHOS ECLECTICOS, qui singulas Philosophiæ partes restaurarunt atque emendarunt, nam Philosophiam rationalem, post *Valla, Agricola, Nizolii*, atque *Vini* conatus susceperunt emendam *Petrus Ramus, Jacobus Acontius, Verulamius, Gassendus, Cartesiani, & inter eos Grandius, Claubergius, Regisius, Mansu-*

elms, *Arnaldus*, *Malebranchius*, *Tschirnhausen*, *Lockius*,

PHILOSOPHIAM NATURALEM, post *Telesium* ac præter eos qui vel. Sectariam, vel eclecticam Philosophiam revocarunt, jamjam nominatos, restaurare conati sunt *Basso*, *Clavius*, *Redemptus Baranzanus*, *Bernardus Pelissus*, *Joannes Lodinus*, *Nathanael Carpentarius*, *Guilhelmus Gilbertus*, & in Germania post *Paracelsum Sennertus*, ex Chemicis *Kenelmus Digbaeus*, *Thomas Anglus*, *Robertus Boyle*, ex Mathematicis *Nicolaus Copernicus*, *Tycho Braheus*, *Joannes Keplerus* & *Galilaus Galilæi*, ex Geometris præter *Toricellium*, & *Cavallierium Gregorius de S. Vincentio*, *Hariotus*, *Willisus*, *Fermatius*, *Hugenius*, *Isaacus Newtonus*, *Bernoullii*, *Varignonius*, *Hospitalius*, *Hermannus*, *Eulerus*, & alii, ne jam de iis dicam, quibus nova inventa debemus, & de societatibus, ad augendam Philosophiam naturalem institutis.

METAPHYSICAM novis luminibus perfuderunt *Cartesiani*, *Leibnitius*, *Wolffus*, alii, male sanam vero metaphysicæ reformationem suscipere *Balthasar Bekkerus* & *Benedictus Spinoza*, qui tamen *Torig Jellis*, *Ludovicum Meierum*, *Lucam Fridericum van Leenhof*, *Franciscum Cuperum*. *R. Mosen Germanum*, *Boulainvilliersum*,

Iersum, *Abrahamum Kufeler* *Joannem Norris*, *Henricum Wimarsum*, *Andream Curbachum*, *Theodorum Ludovicum Lau* & alios Sectatores habuit.

PHILOSOPHIAM MORALEM emendam aggressi sunt *Michael Montanus*, *Petrus Charondas*, *Abrahamus Scultetus*, *Vincentius Placcius*, & Jus Naturæ, quidem *Hugo Grotius*, *Joannes Seldenus* & *Samuel Pufendorfus* nativo suo nitori restituerunt.

PHILOSOPHIÆ CIVILI præter *Gratianum*, *Buddeum*, *Thomasium* ac *Rudigerum* medicas attulere manus *Joannes Bodinus*, *Trajanus Boccallinus*, pessimis autem consiliis *Machiavellus* & ita dicti *Monarchomachi*, *Buchananus* Scilicet, *Boucherius*, *Reginaldus*, *Miltonus*, & alii.

EXOTICAM PHILOSOPHIAM appendicis loco paucis perlustraturi, observamus sequentia;

I. Indorum veterum Buddas, cujus inter omnes Asiæ populos maxima est auctoritas & veneratio, cum Siamensium *Somonacodomo* Sinarum & Japonensium *Xekia* sive *Xaka*, post fata *Foe* sive *Fotoq* dicto, nec non cum *Pui* & *Busib* Indorum, *Chinensium*, & Japonensium populorum idem est. Duplex autem hic Philosophus Philosophiæ genus habuit, tum vulgare, exotericum sive allegoricum, tum arca-

num, intimæ admissiõis discipulis patefactum.

II. GENS MALABARICA suos habet *Braminas* sive *Brahmanas*, quorum mores & instituta cum iis conspirant, quæ de Brachmanibus Indiæ veteres tradiderunt, Liber illorum sacer *Vedam* dicitur, inque certas classes divisi sunt, inter quos *Jogiguels*, & *Gnagiguels* dicti familiam Philosophorum constitunt.

III. SINARUM GENS *Fobi* quendam regni conditorem ac sapientiæ Sinicæ parentem prædicat, qui & librum, *Yekim* dictum, scripsisse dicitur, cui accessere quatuor alii libri, qui quinque libros classici Sinensium constituentes *V-kim* dicuntur, & a *Confucio*, & *Mencio*, Philosophis celeberrimis, Commentario, *Suxu* dicto, illustrati sunt, præter quos & *Li Lao* *Kuin* vel *Lao-Tan* nominis celebritatem consecutus est, nec non *Cheucu* & *Chimci*, novæ Sectæ *Ju-Kiao* dictæ, auctores, quæ hodie cum Sectis *Foe-Kiao* & *Lao-Kiao* in toto imperio Sinico obtinet.

IV. JAPONENSES *Kobotum* quendam summis efferunt laudibus, qui ex India in Japoniam librum *Kio*, id est, *Pandectas Xekianas* adtulerit. Quamvis vero *Secta Xekiana* sive *Fotokiana* magnam inter Japonenses nacta sit auctoritatem, tres tamen religionis Sectæ in hac gente

florent, *Sintoistarum* Scilicet, *Budsoistarum*, ac *Sindostivistarum*.

Illud tandem quod maxime cordi esse debet, hic monere cum Cl. *Corfinio* paruerit, Philosophiam ad beatitudinem, cujus amore, ut paulo superius ostendimus, est instituta, dirigi oportere; ut, quemadmodum illa *descendens a Patre luminum, velut accuratissima, ac honoratissima, rerum multarum, ac difficilium cognitio; veritatis scientia, ars artium, disciplina disciplinarum; mater omnium bonarum artium, laudatarum artium omnium procreatrix quedam, & quasi parens, inventrix legum, magistra morum, & discipline, vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, ars vitæ, cultura, & medicina animi* nobis immortalis Dei munere concessa fuit, sic illa quoque degeneres animos ad Deum revocet, similes Deo nos efficiat, sincero denique veritatis, & honestatis amore *ad Deum nos deducat, & sistat; Quæ* enim ad Deum ferat unica via est *Pietas* *Cognitioni* conjuncta.

FINIS.

LIT2/5